



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones à Clemente X. & Innocentio XI. editas

Luxemburgi, 1739

XXX. Indulgentiæ pro Ordine, & Confraternitate Habitus Serv. B.M.V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74708)

his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus necnon præfatorum Ordinis, & Provinciae, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Jan. MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XXX. Januarii MDCLXXVIII. Anno Secundo.

Confirmatur Decretum Capituli S. Petri de Urbe, quo adscripta fuere beneficia Abbatie S. Rufilli Foropompilien. Clericis idoneis ipsius Diocesis.

Pius IV. anno 1564. 12. Kalend. Julii univit mensa Capitulari d. Basilica Vaticana eandem Abbatiam cum exemptione a solutione quindennii.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Capitulum, & Canonici Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, quod cum quorundam perpetuorum cum cura, & sine cura Beneficiorum Ecclesiasticorum intra limites Jurisdictionis Monasterii Abbatie nuncupati S. Rufilli Terræ Foropompilii nullius Diocesis Provinciae Ravennaten. eidem Basilicæ Apostolica auctoritate perpetuo, ut asseritur, uniti consistentium, dum pro tempore vacant, collatio, cessantibus tamen reservationibus, & affectionibus Apostolicis, canonice spectet ad Capitulum, & Canonicos ipsius Basilicæ pro tempore existentes, qui illa turnatim per hebdomadas conferre consueverunt: ipsi Exponentes die 22. Novembris proxime præteriti Capitulariter Congregati, ut subditorum dicti Monasterii commodis consulere, eosque ad clericalium virtutum, atque ministeriorum studia propositis præmiis incitarent, decreverunt, ut Beneficia hujusmodi impostero per hebdomadarios Clericos Monasterio prædicto, sive illius Jurisdictioni subditis quando reperirentur idonei, exclusis exteris, conferrentur, & alias prout plenius continetur in eorum Decreto Capitulari desuper emanato, tenoris, qui sequitur, videlicet. Fidem facio per præfentes Ego Notarius publicus, & ad curam Archivi Sacrosanctæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe deputatus infrascriptus qualiter in libro Decretorum Capitularium ejusdem sacrosanctæ Basilicæ fol. 90. inter cætera legitur, ut infra videlicet-- Die 22. Novembris 1677. fuit Capitulum, & interfuerunt RR. DD. Josephus Maria Suarezius Episcopus olim Vafionen. Vicarius, Nestor Rita Archiepiscopus Sebasten., Franciscus Maria Scotus, Thomas Vanninus, Joannes Vincentius Arata, Alexander Cafalius, Ludovicus Lensius, Bonamens de Augustinis, Marius Columna, Michael Angelus Zacharia, Leonardus Marfilius, Julius Riccius, & Marcus Antonius Mariscottus omnes Canonici supradictæ Sacrosanctæ Basilicæ capitulariter congregati decreverunt, quod quæcumque beneficia curata, & non curata vacantia in Abbatia S. Rufilli Foro Pompilien. conferantur impostero per DD. Hebdomadarios illis de eadem Diocesi, quando reperiantur idonei, exclusis exteris, unde idem de Diocesi gaudeant in Clericatu profecisse, & inde servitium Ecclesiæ, & decus Abbatie angeantur. In quorum &c. Dat. hac die 13. Januar. 1678. Ita est Josephus Balduinus Presb. Rom. pub. Apostolica auctoritate Notarius, & ad curam Archivi Secretariæ Basilicæ S. Petri deputatus.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dilectus filius noster Carolus Barberinus S. R. E. Cardinalis Carolus nuncupatus dictæ Basilicæ Archipresbyter non solum Decreto hujusmodi consenserit, sed etiam dictis Exponentibus significaverit gratum sibi fore si etiam ipsius nomine confirmatio ejusdem Decreti a Nobis, & hac Sancta Sede obtineretur: Nobis propterea

XXXI.

Dat. 15. Febr. 1678. An. 2.

Species facti.

Collatio beneficiorum Abbatie S. Rufilli spectat ad Capitulum S. Petri de Urbe.

Causa Decreti Capitularis.

Decretum, quo statutum fuit, ut beneficia d. abbatie conferrentur per Hebdomadarios Clericos ejus Subditis, si essent idonei.

Preces Archipresbyteri, & Capituli.

ipfi

XXX.

Conceduntur Indulgentiæ singulis utriusque sexus tam Ordinis, quam Confraternitatis Habitibus Servorum Beatae Mariae Virginis orationi mentali vacantibus.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

AD ea per quæ animarum Christi fidelium salus procuratur libenter intendimus, & eorumdem Christi fidelium devotionem, ut in spiritalibus exercitiis ferventius incumbant, celestium munerum elargitione libenter fovemus, & incitamus.

§. 1. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Fratribus, & Monialibus, ac Tertiariis Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, necnon aliis utriusque sexus Christi fidelibus Confratribus, & Confororibus Confraternitatis habitus Sororum ejusdem B. Mariæ Virginis dolorosæ Dei Matris nuncupat. tam hæcenus in Ecclesiis ejusdem Ordinis, seu alibi canonice institutæ, quam in posterum ubilibet institutæ, qui per quadrantem horæ orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies; qui per duos quadrantes continuatos, septem annos de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

§. 2. Iis vero, qui devotionis hujusmodi per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensem dabunt operam, & vere pœnitentes, & confessi SSimum Eucharistiæ Sacramentum sumperint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem quam per modum suffragii animabus Christi fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverunt applicare possint.

§. 3. Insuper, quod dicti Fratres, & Moniales pro oratione mentali, ad quam ratione eorum Regulæ, & Constitutionum quolibet die tenentur prædictas omnes Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes proportionabiliter lucrari, & consequi possint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis indulgemus, in contrarium facien. non obstantibus quibuscumque. Præsentibus ad septennium tantum valituris.

§. 4. Volumus autem, quod si pro impetratione &c. nullæ sint. Quodque præsentium transcriptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica &c. ostensæ.

Dat. 30. Jan. 1678. An. 2.

Exordium.

Conceditur vacantibus Orationi mentali per quadrantem horæ pro qualibet vice Indulgentia centum dierum.

Per dimidium horæ Indulgentia septem annorum.

Singulis diebus continuis per dimidium, vel quadrantem horæ Indulgentia Plenaria semel in Mense, etiam per modum suffragii.

Hæc omnes Indulgentiæ extenduntur ad Fratres, & Moniales Ordinis, qui ex Regulæ, & Constitut. tenentur ad d. Oratione mentalem.

Conceduntur ad septennium.